

LIBRI
IN LIBROS
N. T.

Contenta.

1. Georgij Calixti Commentar. in Quatuor priorum capitulum Geneseos Expositio literalis. 2. Historia Iosephi sive XVII posteriorum capitulum Geneseos Expositio literalis. 3. Exodij XX priorum capitulum Expositio literalis. 4. Lex Dei Mosaica. in classes iuxta Decalogum digesta et una cum Ceremonialibus atq; Judicialibus eo pertinentibus Legibus exposita. 5. In Prophetis Præmium. 6. Expositio Oraculi de 70 Hebdomatibus Danielis. 7. de Usuris & Nylis.
2. Georgij Calixti Concordia Quorundam Evangelicorum scriptura et locorum etc. Explicatio.
3. Georgij Calixti Historia Magorum. è cap. 2 Matthæi.
4. In Acta Apostolorum expositio literalis.
5. In Epistolam S. Pauli ad Romanos.
6. In Epistolam S. Pauli ad Corinthios priorem et posteriorem.
7. In Epistolam S. Pauli ad Galatas.
8. In Epistolam S. Pauli ad Ephesios.
9. In Ep. S. P. ad Colossenses.
10. In Ep. S. P. ad Thessalonicenses priorem.
11. In Ep. S. P. ad Philippenses.
12. In Ep. S. P. ad Titum.

Sammelband

26366.

GEORGII CALIXTI
S. THEOL. D. ET IN
ACAD. IVLIA PRIMARII
PROF.

IN EPISTOLAE
SANCTI APOSTOLI PAVLI AD
THESSALONI-
CENSES POSTERIORIS
PRIMUM CAPVT ET ALIQVOT VERSVS SECVNDI
EXPOSITIO LITTERALIS.

QVOMODO ILLA ANTE ANNOS XXX, QVVM PVBLICE
PROPONERETVR EXCIPI POTVIT.

NVNC PRIMUM EDITA.



BRVNSVIGÆ,

Typis & sumptibus ANDREAE DVNCKERI,
M. DC. LVI.

GEORGI CALIXTI
S. THEOL. D. ET IN
ACAD. IVLIA PRIMARIAE
PROF. PUBL. ET
IN APOSTOLAE
SANCTI APOSTOLI PAULI AD
THESSALON
CENSURAS POSTERIORIS
PRIMUM CAPUT ET ALIQVOT VERBVS SECVN-
DUM EXPOSITIO LITTERALIS
QVOMODO ILLA ANTE ANNOS XXX. QVAM TABLICE
PROF. PUBL. EXCIPIT POTVIT
HUNG. PRIMVM EDITA
M. DC. LXXI
D. Typog. Langens. A. R. A. N. V. N. C. K. E. R. I.
M. DC. LXXI.



IN EPISTOLAM.
SANCTI APOSTOLI
PAULI AD THESSALONI-
CENSES
POSTERIOREM.
PROOEMIUM.

Posteriorem ad Thessalonicen-
ses post priorem haud longo inter-
vallo, & eodem loci, Corinthi vide-
licet, scriptam existimamus. Laudâ-
rat priore Apostolus ipsorum in re-
cipiendo evangelio promptitudi-
nem; hîc laudat incrementa fidei &
perseverantiam, Silvano & Timo-
theo sub initium hujus, uti illius quoque, sibi adjunctis.
Nempe postquam ad Apostolum, qui Corinthi annum &
sex menses commoratus fuit, Actor. XIX, 5, II. ex Macedo-
niâ Silvanus & Timotheus venissent, latumque de Thessa-
lonicensibus nuncium attulissent, primùm quidem prio-
rem; inde quum accepisset spargi inter ipsos vanam quan-
dam de propinquitate adventûs Domini doctrinam, paullo
post alteram hanc perscripsit, Potuit occasio vani ejus ru-
moris sumi ex ipsâ illa priore, & verbis cap. IV, 17. *Nos vivi,
qui reliqui erimus, rapiemur simul cum eis in nubes, in occursum
Domini in aëra.* Et sequente cap. vers. 4. *Vos, fratres, non
estis in tenebris, ut dies ille vos, tamquam fur, deprehendat.* Ne-

4
 que enim vel illis nascentis ecclesiæ temporibus defu erunt indocti & parum stabiles, qui Apostolica scripta ad alienos & pravos sensus detorquerent, ut ex posteriore Petri cap. III. 6. constat. Non tamen tam verba illa, quàm peculiare revelationes, prætexuerunt; quin eò usque audaciæ sunt progressi, ut hoc ipsum Apostolos cum vivâ voce, tum scripto docuisse fingerent, iisque viventibus & videntibus sermones & epistolas supponerent, quod è versu secundo capituli secundi colligitur. Spem quidem aliquam adventus sui fecerat Apostolus epistolâ superiore, cap. III, 10. cæterùm quum is fortè aliquantùm differretur, ne mora detrimentum afferret, & se neglectos arbitrarentur Thessalonicenses, hanc ad ipsos dedit epistolam, cujus primo capite, ut supra monuimus, augescentem indiesque incrementa facientem fidem, caritatem & patientiam eorum laudat, addens fore, ut magno illo die Domini, justo DEI judicio, ipsi gloriam & æterna præmia, impii contra & persecutores damnationem & exitium reportent. Ne quis autem fallatur & sibi præter rei veritatem quicquam persuaderi patiatur, docet capite secundo, diem illum & judicium ultimum non adfuturum, quin prius venerit *ἡ ἀποκάλυψις* & revelatus fuerit Antichristus, cujus proinde adventum, factum, fallacias, progressum & exitum describit: cum quo ejusque affectis quum Dei beneficio nihil commune habeant Thessalonicenses, ad perseverantiam in sinceritate fidei eos exhortatur. Denique capite ultimo rogans, ut precibus evangelicæ prædicationis opus & operarios adjuvent, ipse vicissim constantiam à DEO illis & promittit & efflagitat. Ociosos autem & inquietos, qui publicum ordinem turbent, jubet coerceri, & nisi corrigantur, convictu & coetu fidelium excludi.

AD

AD CAPVT PRIMVM.

Ræmissâ salutatione & adprecatione gratiæ & pacis totidem verbis, quibus epistolâ superiore fuit usus, *GRATIAS, ait, AGERE DEBEMVS DEO SEMPER DE VOBIS, FRATRES, VT PAR EST [nam sicut dixerat epistolâ priore, cap. v, 18. in omnibus Deo agenda sunt gratiæ, maximè itaque pro beneficiis & lætis successibus] **Q**UOD VEHEMENTER AVGESCAT FIDES VESTRA, nempe quòd quum haud ita pridem fundamenta jacta fuerint, feliciter indies succrescat & incrementis ejus quotidie aliquid accedat; **ET** ABVNDET MVTVA VNIVSCVJVSQVE OMNIUM VESTRVM CARITAS. Subjungit fidei caritatem, utpote immediatæ causæ, maximum & immediatum effectum. Neque verò augmenta fidei intra animi penetralia abscondita cognosci aliter possunt, quàm ex augmento caritatis foras sese exserentis. Maximè verò in persecutionibus fides manifestatur. Constantia enim in tribulationibus, & patientia in persecutionibus ex caritate Dei & amore veritatis proficiscitur, cum hic autem tum illa ex fide. Sævientibus itaque persecutionibus *deteguntur ex multis cordibus cogitationes*, ut loquitur Simeon, Luc. II, 35. *Quomodo potest crescere fides? quærit Chrysostomus. Respondet: Ita scilicet, si quando illius gratiâ adversi quicquam perpepsi fuerimus. Magnum quidem est obfirmatum esse, & cogitationibus nullis à scopo dimoveri: allidentibus verò ventis, decidentibus magno impetu pluviis, undique insurgente gravi tempestate & acervatim appellentibus procellis, si tum non disturbabimur, nullius alterius rei signum erit, nisi crescentis & vehementer excrescentis fidei.* Quoniam igitur

tur ex fide & caritate oritur tolerantia, & per tolerantiam
 fides manifesta redditur, ideo de hac Apostolus è vestigio
 subiicit. Fides, inquit, vestra vehementer augetur, & cari-
 tas abundat, ADEO VT NOS IPSI DE VOBIS tamquam
 genuinis Christi discipulis & veris fidelibus, quorum pieta-
 tem imitari pulchrum sit, GLORIEMVR APVD ECCLESIAS
 DEI, ut in vobis Dei opus ac misericordiam agnoscant, & à
 vobis exemplum, quod imitentur capiant; gloiratur au-
 tem SVPER TOLERANTIA VESTRA ET FIDE (è quâ, sicut
 ostendimus, originem ducit tolerantia ipsa) constante &
 immobili IN OMNIBVS PERSEQVVTIONIBVS VESTRIS
 ET AFFLICTIONIBVS QVAS SVFFERTIS. * Quod ipsum,
 nempe vos afflictiones patienter sufferre, impios autem pe-
 tulanter & hætenus impunè inferre, INDICIUM est JV-
 STI JVDICII DEI, hoc est, certum est argumentum insta-
 re quoddam accuratum ac severum Dei iudicium. Per ju-
 stitiam enim & benignitatem Dei fieri nequit, ut improbis
 semper sit bene, probis malè; aut ut impii pios affligant, &
 pii injurias illatas patienter tolerant, utrique citra dignam
 factis suis retributionem. *Si enim in hac solum vitâ & pro-*
pter hujus vitæ commoda, quibus videlicet pii rarò, impii
longè frequentius potiuntur, in Christum speramus, miserrimi
sumus omnium hominum, 1. Cor. xv, 19. Ita dixit iis, qui se
evangelio opponant, iudicium id esse exitii, fidelibus au-
tem salutis. Phil. 1, 28. VT DIGNI HABEAMINI REGNO
 DEI, quippe oportet per multas afflictiones nos ingredi in re-
 gnum DEI, Act. xiv, 22. Oportet, suppositâ videlicet im-
 piorum malitiâ & permissione Dei suos exerceri & proba-
 ri volentis. Constituit itaque, ut qui regnum ipsius adire
 velint, afflictiones, quibus exerceri contingat, constanter
 & patienter tolerant. Qui igitur in afflictionibus & perse-
 quutionibus fideles perueverant, digni habentur regno DEI,

ex

ex Dei videlicet ordinatione & promissione, non autem quòd ipsum opus patientiæ in sedignum sit præmio æternæ gloriæ. Neque enim inter opus patientiæ, aut quodcunque aliud, & æternam gloriam ulla proportio; neque Deus hominibus aliter obligatur, aut obligari potest, quàm ratione factæ promissionis, suæque veracitatis & fidelitatis. Fidelitatem tamen suo modo ad justitiam referri non negamus, unde Hebr. VI, 10. *Non injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, & laboriosa caritatis, quam ostendistis erga ipsius nomen.* Capite autem x, 23, ita effertur: *Fidelis est, qui promissit.* I. Joh. I, 9. utrumque conjungitur: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra.* Nempe justitia Dei, respiciendo poenitentes & credentes in hoc consistit, quòd fideliter stat promissis, & peccata, uti se facturum recepit, condonet. Quod itaque fideles digni habentur regno DEI, perinde ferè est, ac si imperator aut rex potentissimus singulis elegans carmen pangentibus & offerentibus, urbis aut provinciæ præfecturam promississet. Dicitum posset, Ehodum Poëtæ, nunc carmina pangite, ut digni habeamini præfecturis regiis. Nullum autem meritum propriè ita dictum ullo modo inferri posse manifestum est. Ut digni, inquit, habeamini regno Dei, PRO QVO ETIAM PATIMINI, Pro quo videlicet consequendo, sive dum consequi cupitis & annitimini, in ejusmodi adversa inciditis. Aut etiam pro quo, hoc est, pro cujus rei veritate & justitiâ adserendâ ista patimini. Ita Matth. v, 10. *Beati quos persequuntur homines, justitia causa: quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Et I. Petr. IV, 14. *Si convitiis afficimini, Christi nomine, beati estis.* Cohærent quidem inter sese tolerantia persecutionum pro Christi nomine, & beatitudo, non tamen ut causa & effectus, sed potius quemadmodum accidens aliquod inseparabiliter connexum est cum formâ, unde

de

de fiat, ut idem accidens cum eo, quod illa forma informat aut efficit inseparabiliter sit connexum. Verbi gratia, risibilitas à ratione se jungi nequit. Ratio enim dat esse homini. Risibilitas itaque cum humanitate semper & necessariò conjungitur. Similiter patientia indivisa comes est veræ fidei. Per fidem autem beatitudinem certò consequimur. Ergo patientia & beatitudo ita conjunguntur, ut qui patientes sunt, beati etiam sint. Sicut autem non sequitur, Qui risibiles sunt, homines sunt. Ergo per risibilitatem homines sunt: ita quoque non sequitur, Qui patientes sunt, beati sunt. Ergo per patientiam beati sunt: sed hoc saltem sequitur: Aut per patientiã, aut per quicquam aliud, quod cum patientiã necessariam habet conjunctionem, beatos esse. * SI QUIDEM JUSTVM EST APVD DEVM, VICISSIM REDDERE IIS, QVI AFFLIGVNT VOS, AFFLICTIONEM. Justum est, hoc est, decet ejus bonitatem & æquitatem & auctoritatem, quã tamquam supremus judex & gubernator universæ creaturæ præsidet, & unicuique secundum opera sua reddet, Rom. II, 6. Injuriam sanè faciunt fidelibus improbi, quando cor adfligunt; nec fidelibus modo, sed quantum in se est, in Deum quoque, cujus leges violant & ordinem turbant, injurii sunt. Quamquam itaque reapse Deo derogare vel auferre nihil quicquam possunt, quia tamen, quantum in se est, annuntur & faciunt, proinde censentur, quasi Deo ipsi incommodum attulissent & damnum dedissent. Deus igitur vindicabit & puniet non modo quia pios vexarunt, sed etiam quia voluntati divinæ repugnarunt, & rempubl. universi atque ordinem, quem in eã servari Deus voluerat, turbarunt. Alias justitia Deo ita propriè & stricte competere non potest, ut ex eã debitum oriatur, aut ex debito citra suam promissionem cuiquam obligetur. Rectè igitur Anselmus Profologii cap. x. *Justus es, non quia nobis*

v. 6.

nobis reddis debitum, sed quia facis, quod decet te summè bonum.

* Juxta hunc itaque loquendi modum subjungit Apostolus, **VOBIS VERO QVI AFFLIGIMINI RELAXATIONEM** & requiem ab omnibus periculis, laboribus & ærumnis (ita Petrus diem extremi judicii *tempus vocat refrigerii*, Act. III, 20. nam hic quasi sub ardente sole & in æstu versamur) **NOBISCVM**, qui enim communem sortem in hoc seculo habuimus, itidem in altero experiemur. *Quid?* inquit Chrysostronus, *ergo æqua erit retributio?* Nequaquam ait. *Vide enim ex iis, quæ sequuntur, quomodo ostendat vehementiorem esse malorum retributionem, & bonorum relaxationem multò majorem.* Ita Chrysostronus. Poenæ quidem peccatorum, quatenus peccatum in homines fuit, majores sunt: quatenus autem peccatores Deo ipsi detrahere conati sunt, minimè. Præmia piorum citra controversiam quibusvis laboribus, quos hîc exantlamus, majora sunt. *Reor*, ait Rom. II, 8. *presentis temporis perpeſſiones minimè pares esse gloria in nobis revelanda.* Deus enim præmia gloriæ potius ex benevolentia & benignâ quadam liberalitate sive magnificentia fidelibus, tamquam suis filiis tenerrimè dilectis, largitur, quàm ex justitiâ quasi mercenariis retribuit. **IN REVELATIONE DOMINI JESV**, quando videlicet in altero suo ad judicium adyentu apparebit & aderit **DE COELO**; ipsum enim oportet cælum capere usque ad tempora restitutionis omnium, Act. III, 21. **CVM ANGELIS POTENTIBVS SVIS**, sive cum angelis exercitus sui, unde Dominum Zebaoth sive exercituum prima vocavit Hanna, Samuelis Prophetæ mater I. Sam. I, II. Quippe *veniet filius hominis in gloria, & omnes sancti angeli ejus cum eo*, Matt. XXV, 31. * ἐν πυρὶ φλογός **CVM IGNE FLAMMANTE**. Nam qui nunc sunt cæli & terra, adſervantur igni in diem damnationis & exitii impiorum hominum; II. Petr. III, 7. **IN FLI-**

V. 7.

V. 8.

B

GEN-



GENTIS (oportet referre ad superius Domini Jesu, non ad proximum φλογος) VLTIONEM & pœnas, quas meriti sunt, IIS, QVI DEVM NESCIUNT, non quòd simpliciter nesciant Deum esse, sed quòd, uti ad salutem oportet, cognitum non habeant, quâ ratione Ephesii quoque dicuntur fuisse sine Deo in mundo, Eph. 11, 12. idque declaratur verbis sequentibus, NEQVE AVSCVLTA NT EVANGELIO DOMINI NOSTRI JESV CHRISTI, ita videlicet Deum nesciunt, ut ejus Evangelium, in quo patefit, quatenus ad salutem cognosci debet, non admittant. * QVI

v. 9. POENAM LVENT ÆTERNVM EXITIVM, EXPVLSI A FACIE & conspectu DOMINI & rejecti A GLORIA ROBORIS EIVS, sive procul inde faceffere jussi, ubi ille gloriosam suam majestatem potenter exferet, per horribilem videlicet eam vocem; *Ite maledicti in ignem æternum,* Matth. xxv, 41. * QVVM VENERIT VT GLORIFICETVR IN SANCTIS SVIS: Sicut enim hodie pietas & patientia sanctorum in ipsius gloriam redundat, & in bonis operibus fidelium glorificatur pater cœlestis, Matth. v, 16. ita quoque tum gloria eorum in Dominum, cui servierunt, & omnia sua debent, redundabit. Gloriosum videlicet est Christo, utrumque, & tam probos fidosque hîc habere ministros, & imprimis eos ibi tantam suæ fidei mercedem consequi, adeoque ampliter & magnificè, tantis honoribus tantis præmiis affici. ET ADMIRANDVS FIAT IN CREDENTIBVS OMNIBVS. Quæ præter opininonem eveniunt, & modum cui adsuevimus excedunt, admirari solemus. Inopinata enim & insueta admirationem excitant, quæ proinde rudibus & imperitis familiarior, quàm prudentibus & rerum gnaris. *Oculus autem non vidit, neque auris audivit, neque in mentem hominis venerunt quæ paravit Deus iis, à quibus ipse diligitur* 1. Cor. 11, 9. Summam igitur

igitur illa admirationem merebuntur imprimis autem impii, quippe quibus maximè inopinata, stuporem iniicient, quod pulchrè depingit liber sapientiæ sub initium cap. v. *Stabit confidentiâ magnâ justus in conspectu eorum, qui afflixerint ipsum: videntes perturbabuntur timore gravi & stupefient propter salutem inopinatam ejus, dicentque apud seipsos: Hic erat, quem habebamus quondam ludibrio & communi probro. Quomodo relatus est in filios Dei & in sanctis est fors illius?*

QVOD FIDES HABITA FVERIT TESTIMONIO NOSTRO APVD VOS. Quasi dicat, id quoque accedet ad gloriam admirabilem Christi, quod præterquam homines opinari potuissent, nostrum de Christo testimonium apud vos aliosque Græcos & gentiles fidem invenerit: solentque ista verba parenthesi includi. IN DIE ILLO magno scilicet gloriæ Christi & universalis judicii. * CVIVS ETIAM REI GRATIA respiciendo videlicet ultimum summumque finem & magnum illum diem Domini, ORAMVS SEMPER PRO VOBIS VT VOS DIGNETVR DEVS NOSTER ISTA VOCATIONE, hoc est, per metonymiam, sine & fructu vocationis, æternâ videlicet, de quâ diximus, gloriâ, quæ vocatur spes vocationis divinæ Eph 1, 18. IV, 4. Præmium supernæ vocationis Dei Phil. III, 14. ET COMPLEAT TOTVM BONITATIS SVÆ BENEPLACITVM, ut videlicet quicquid secundum suam benevolentiam ei in fidelibus operari visum est, id in vobis quoque præstet, ET OPVS FIDEI compleat videlicet, siue perseverare faciat fidem quam ipse operatus est, siue, ut loquitur Phil. 1, 6. *Bonum opus quod in vobis incepit, perficiat usque in diem Jesu Christi.* Nam absque fide & perseverantia in fide ad finem vocationis, siue æternam gloriam perveniri nequit: Dicit opus fidei, quasi structuram fidei & fabricam, quam Deus ipse suo spiritu & gratia exadificet. PO-

V. 12.

TENTER, nempe ut suâ potentiâ quæcunque fidei successum & incrementa impedire aut penitus interrumpere poterint submoveat. * VT GLORIFICETVR NOMEN DOMINI NOSTRI JESV CHRISTI IN VOBIS, nempe in vobis, qui in hoc seculo piè, innocenter & justè viuentes quacunque afflictione quàm ipsâ quoque morte spretâ fideles inueniamini; in illo autem amarantinâ gloriæ coronâ condecoremur, ET VOS IN EO, fideles glorificantur in Christo, quia videlicet quidquid illis gloriæ obtingit & confertur, id totum Christi beneficio & meritis acceptum ferri debet: propterea etiam ab Apostolo additur, EX GRATIA DEI NOSTRI ET DOMINI JESV CHRISTI, quasi dicat, glorificatio vestra minimè est ex vobis, sed quanta quanta est, opus & effectum est gratiæ Christi. Aliter iaque Christus glorificatur in fidelibus, nempe ut in effectu suo; aliter fideles in Christo, nempe ut in efficiente, quod quidquid in fidelibus gloriosum inuenitur, ipse efficiat, ita videlicet ut & eorum gloriam operetur, & in illis glorificatis tanquam in opere suo semet gloriosum reddat. Alias objectivè capiendo, sive objectum & materiam gloriæ spectando, cum Christo gloriosum est, tam præclaros habere fideles, tum fidelibus, tam bonum & magnificum habere Dominum: sed Christus, sicut diximus, quidquid in fidelibus præclari est, efficiendo & illis & sibi metipsi in primis gloriam conciliat,

SECUNDVM CAPVT.

DIxit Apostolus instare diem Domini quo reddatur unicuique secundum opera sua; & impiis infligatur ultio, piis autem conferatur requies & gloria; quarum rerum consideratione & in-

& intuitu omnes difficultates sint superandæ & afflictiones contemnendæ. Quum autem inter Thessalonicenses de ni-
miâ diei istius propinquitate opiniones sparsæ essent, & illos
Apostolus falsis persuasionibus imbui nollet, ne præposterâ
expectatione adventus Domini omnem rerum suarum &
posteritatis curam abiicerent, aut potius ne experienciâ opi-
nionem istam redarguente & falsi convincente, de veritate
religionis Christianæ dubitare postea inciperent. Nam
quod de libris Canonicis bene monuit Augustinus, Reli-
gioni Christianæ, quæ iisdem libris continetur, cujusque
conservandæ & propagandæ ergo libri ex divinâ inspiratio-
ne conscripti sunt, rectè accommodari potest. *Admisso*
videlicet semel in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo
mendacio, nulla particula remanebit, quæ non, ut cuique videbi-
tur, in dubium vocetur. Si itaque ponas, revelationis divinæ
& veritatis Christianæ esse, diem Domini nostra ætate intra
paucos annos adfuturum, & paulo post experientia contra-
rium evincat, præbebitur occasio & suppetet medium quo
universa religio convellatur. Nulla enim est ratio, quare
aliæ ejus partes, sive articuli, majoris certitudinis existimen-
tur quàm aliæ. Quamvis itaque fines seculorum in nos de-
venerint, ut loquitur I. Cor. x, 11. & adsit ultimum tempus
I. Ioh. 11, 18. Atque adeo appropinquet adventus Domini
Iacob. v, 8. & finis omnium I. Petr. iv, 7. Præterea ex usu vi-
deri posset cervicibus imminens iudicium in singulas ho-
ras expectari: ne tamen vel in posteritatis & rerum publ.
commoda peccaretur, vel occasio religionis Christianæ
aliis irridendæ, aliis deserendæ præberetur, ex falsâ persua-
sione affuturi intra paucos annos finis, metum illum oriri &
incuti Apostolus noluit. Nos sanè post secula tot exacta ab
illo, quo ultimum tempus jam tum adesse Apostoli scribe-
bant, finem universi magis magisque appropinquare certis-
simum sumus, quot tamen absit annis aut ætatibus, determi-

nari non potest. Vltimam, inquam, mundi ætatem nunc esse certò scimus. Num vero finis nostrâ vel filiorum, vel nepotum, vel pronepotum ætate sit affuturus, æquè scimus cum ignarissimis. Si sciri aut ætas sive seculum, quo supremum iudicium expectari oporteat, definiri posset, etiamsi satis remotum & secundum totam latitudinem seculi definiretur, non foret usquequaque verum, quod dicit Servator, de die illo neminè scire, nisi solum Patrem, Matt. xxiv, 36. Marc. xiii, 32. Haud itaque sine profanâ curiositate scrutantur nonnulli, quod cognosci nec ullo modo potest, nec fas est. *Scribit igitur Apostolus: **ROGAMVS VOS FRATRES PER ADVENTVM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, ET NOSTRI AD EVM CONGREGATIONEM**, sive per consortium gloriæ, quod nos cum ipso, tanquam membra cum capite, habebimus, obsecramus & obtestamur, vos, ut quàm certò expectatis gloriosum Domini adventum & quàm cupidè speratis obviam Christo in nubes rapi & cum eo æternâ beatitudine conjungi, ***NE CITO A MENTE sanâ DIMOVEAMINI**, sive ne à solidâ & certâ doctrinâ ad ineptias & fabulas prolabamini, **NEQVE TERREAMINI**, vel vobis inanem metum, ob quem rerum vestrarum aut publicarum curam abiiciatis, incuti patiamini, **NEQVE PER SPIRITVM**, hoc est, neque prætextu revelationis à Spiritu sancto factæ, sive novæ cuiusdam prophetiæ, *μήτε διὰ λόγῃς*, **NEQVE PER SERMONEM**, quasi à nobis dictum aut potius, neque per aliquam ratiunculam, quâ propabilitatem & verisimilitudinem adsertioni suæ concilient, **NEQVE PER EPISTOLAM, TANQVAM PER NOS SCRIPTAM**, sive quod nobis notha scripta supponant, sive quod genuina nostra torqueant, & interpretatione depravent. Omnes errorum fontes & prætextus falsis opinionibus, quæ hominibus obtruduntur sive obtendi solent, breviter Apostolus perstrin-

v. 1.

v. 2.

perstrinxit. Sicut enim quodcunque rectè cognoscitur & verum est, cognoscitur aut per rationem & ex principiis naturâ notis legitimè deducitur, aut per peculiarem divini Spiritus revelationem, quæ aliquandiu non nisi vivâ voce fuit exposita, postea verò scripturis canonicis est comprehensa: Ita quoque errores quicumque aut persuadentur per principia naturæ malè intellecta vel applicata, aut venditantur titulo revelationum spiritualium, & novarum prophetiarum; aut palliantur scripturis sive spuris, supposititiis, sive veris quidem & legitimis, sed malè expositis & in pravam sensum detortis. **QVASI INSTET DIES ille CHRISTI.** Aderat quidem ultimum tempus & approquinquabat adventus Christi, ut supra ex ipsius Pauli, Joannis, Jacobi & Petri verbis ostendimus; non tamen adeo propè erat, ut intra paucos annos & ætatem hominum, qui eo tempore viverent, credi deberet adfuturus. * **NE QVIS VOS SEDVCAT VLLO MOOO,** vel per rationes probabiles & fucatas, vel per confictas revelationes, vel per scripturas supposititias aut detortas: **QVONIAM NON ADERIT DIES ILLE** Christi **QVIN VENERIT PRIVS DEFECTIONIO;** Hinc agere incipit Apostolus de Antichristo: & hic locus omniû, qui eandem rem tractant, clarissimus & maxime perspicuus est, ut ex hoc loco depromi quidquid de Antichristo certi potest cognosci, & reliquis, qui apud Danielem & in Apocalypsi Joannis eundem describunt, lucem fœnerari oporteat. Vix autem videtur satis exponi posse, nisi quæ hîc in genere de Antichristo dicuntur, specialiter accommodentur ei, quem nos hujus loci ductu & indicio ipsissimum Antichristum esse existimamus. Majorem videlicet, si de Antichristo argumentum in formâ fuerit conficiendum, hic locus suppeditat; Minorem experientia: quæ proinde necessariò subiungenda erit ut generalia illa decla-

V.3.

decla-



declarentur & quæ in iis latent, eruantur: nempe quisnam Antichristus sit, hîc generali quadam doctrinâ atque adeo virtute & potentia indicatur. Si accedat experientia & cognitio, quæ virtualis sive in potentiâ erat, in actum deducitur. Sicut in reliquis quoque prophetiis, quamdiu nondum completæ fuerint: ex ipsis solis intra experientiam habetur confusa cognitio &, ut ita dicam, virtualis: ubi vero eventus eas conprobavit, & experientia accessit, cognitio est distincta & actualis. Prædictionum itaque propheticarum optimus interpres est eventus. Rectè enim Irenæus lib. IV, cap. XXXII. *Omnis prophetia, priusquam habeat efficaciam, ænigmata & ambiguitas sunt hominibus. Quum autem venerit tempus & evenerit quod prophetatum est, tunc prophetie habent liquidam & rectam expositionem.* Nihil itaque mirum, beatos Patres, qui ante rem completam hunc & alia de Antichristo loca exposuerunt, plerumque dubios fuisse neque ad scopum semper collimare potuisse. Quod si nostra ætate viverent, experienciâ, quam posteriora tempora suppeditarunt, instructi, dubium non est quin quem hic Astolus descripsit, postquam in conspectum & in theatrum orbis progressus fuit, promptè & liquidò agnoscerent. Adferimus autem Romanum Pontificem, ex quo universalis ecclesiæ principem & caput religionis & dogmatum infallibilem determinatorem, iudicemque imperatoribus & regibus superiorem, cui potestas sit transferendi imperia, reges cogendi & è solio deiiciendi, ex quo, inquam, talem sese gessit & haberi voluit, Antichristum esse. Novimus alias, ob eminentiam urbis, cui præsit, inter œcumenicos, quos vocant, ecclesiæ catholicæ patriarchas primum & præcipuum fuisse; in primis autem in occidente auctoritatem ejus maximam, non modò quòd, sicut jam dicebamus, in urbe dominâ episcopatum gereret; sed &, quòd eccle-
siam

siam teneret, in quâ ipsi Apostoli docuissent & martyrium subiissent, qualem in occidente præter hanc haud temerè reperias; unde nomen quoque sedis Apostolicæ ita Romanæ fuit tributum, ut eo nulla alia inter occidentales insigniretur. Si intra limites, quos majores posuerant, sese ille contineret, reverentiam nos quoque juxta majorum statuta ei non denegaremus. Postquam autem reliquos Patriarchas, regesque & imperatores subigere atque adeo in universum terrarum orbem cum spirituale tum temporale dominium affectare & usurpare cepit, Antichristum esse dicimus, quem deserendum rectè censuerint majores nostri, quippe qui majorum statuta & ordinem divinitus approbatum prior ipse deseruisset. Quam igitur in occidente dignitatem & potestatem sive consuetudine, sive populorum consensu vel tacito vel expresso consecutus fuerat, ubi abuti & modum excedere deprehensus fuit, simili quodam populorum consensu amisit, ut, quod è majoribus nostris alii fortè bonâ ratione concesserant, id meliore vicissim alii ademerint, & quod apud nos olim consuetudine fuerat approbatum, id postea contrariâ desuetudine sit abrogatum. Sic itaque potestate, quam apud nos aliquando obtinebat, excidit: quin communione quoque nostra indignum judicamus, quamdiu notas Antichristi evidentes in eo animadvertimus. Nullo autem odio alio nos movemur aut incitatur, quàm impietatis, immanis superbiæ & arrogantiae plus quàm humanæ, similibusque criminum quorum ne consortes aut participes vel tacendo vel consentiendo efficiamur, justus nos incessit metus. Interea haud ægrè admodum feremus, si fuerint qui assensum distulerint & adsequi nondum possint, quare nobiscum paria sentire debeant. Scriptura enim de Antichristo non admodum clarè loquitur, quamvis locus, quem præ manibus habemus, omnium,

C

qui

qui de illo agunt clarissimus sit. Fundamentum videlicet salutis nostræ est Jesus Christus. Illum igitur ita proponi & manifestari oportuit, ne quisquam, qui animum vellet advertere, quibus ad salutem opus est, ignoraret. Antichristi cognitio ad salvificam fidem propriè non spectat, sed ad peritiam & cautelam, nempe ut nobis prudenter consulamus & à fraudibus vaferrimim ortalium caveamus. Optaremus eas ob omnibus æquè animadverti & intelligi. Nobis, quibus datum fuit animadvertere & intelligere, silentio dissimulare vel comprobare non est integrum. Reliquorum vicem, qui sibi imponi adhuc patiuntur, & pontificem magnifieri cupiunt majore ignorantia quam malitia, dolemus, commiserationi propiores, quam indignationi, nisi scientes & volentes peccent & divinitatem affectanti & immania molienti spe privati emolumenti aut terrenæ gloriæ supparasitentur vel opitulentur. Sed ad Apostoli verba consideranda accedamus, ubi prius de Vocabulo pauca monuerimus & alia generalia breviter attigerimus. Sanè si ratio aliqua vocabuli habenda est, Antichristus erit adversarius Christi. Sed nec illa impedit, quo minus talem sive adversarium sive æmulum intelligas, qui titulum Christi mentiatur seque vicarium ejus profiteatur. Etenim si ἀντιβασιλευς pro regem, & ἀνθύπατος pro consulem significat, quidni ἀντίχειρ vicarium quendam Christi significare possit? sic ἀντίθεος divinum sive Deo æqualem, & Dei æmulum & Dei inimicum significat. Sic ἀντιάνθρωπος Amazonem, quæ viris adversetur & æquiparari amet. Intelligamus itaque Antichristum talem Christi esse adversarium atque æmulum, qui nomen & jura legati sive vicarii eius usurpare ausit. At quomodo, inquires, adversarius, si vicarius & legatus? quasi verò Rex Hispaniæ cum pro hoste & adversario non sit habiturus, qui regnum Neapolitanum invadat & pro

& pro vice-rege se gerat, si faciat hoc ipso inconsulto & sine diserto mandato, quamvis profiteatur suum non esse regnum sed regis seque regi subjectum in omnibus, omnia facere nomine regis & pro rege: nihil tamen totum hoc profuerit, quò minus perduellis iudicetur & capite luat. Et ne longè abeam, num pro legato, vel adversario, vel æmulo à Pontifice habebitur, qui sine consensu Pontificis & sine mandato legatum à latere se dixerit, & nomine ac autoritate Pontificis alii dispensationes ac venias indulserit, aliis excommunicationes & interdicta intentârit. Nec igitur ipsum Pontificem liberabit, quominus adversarius sit, quod legatum & vicarium se gerat, cum sine consensu & mandato id faciat. Quin imò ipsavi sive mavis ambiguitate vocis talem adversariū nobis indicari existimemus, qui nullas manifestas inimicitias professus specioso vicarii titulo se venditet, & magnas interim inimicitias exerceat. De primario autem & principe Antichristo cum Apostolum hoc in loco, tum nos loqui constat. Antichristus aliàs non unus est, sed aliquando multi facti sunt, ut docuit nos Joannes, I. epist. II, 18. verùm hi minores magni illius & *αἱ ἐξοχλὴ* ita dicti, antambulones sunt & quasi metatores, qui subsecuturo principi aditum parent. Servator prædicit fore ut circa finem politiæ judaicæ neque minus ubi ad interitum verget mundus, multi excitentur pseudochristi & pseudoprophetæ, edituri signa magna & prodigia, quibus si fieri posset & Dei benigna ac provida cura non obstaret, seducerentur etiam electi, Matth. XXIV, 24. Marc. XIII, 22. Luc. XXI, 8 Hos qui Antichristos dixerit non aberrabit. Cæterum pro insigni & primario illo qui acceperit, opinione suâ fallitur. Nam ille ut è dicendis manifestum erit, ab excidio Judaico tam propè non aberat. Alio tempore ac loco, cum tarditatem & incredulitatem Judæorum objurgaret Servator, *Ego, inquit,*

veni in nomine patris mei, nec recipitis me, venerit alius nomine suo, illum recipietis, Ioh. v, 43. intelligit quemcunque ex iis, quos ab ipso pseudochristos nominatos diximus. Tales fuere sub Claudio Theudas, de quo Iosephus antiqu. lib. xx, cap. 2. sub finem. Barcochebas imperante Adriano, & post aliquot secula Moses Cretensis. Hisce adhærebant & fidem habebant miseri & deliri Judæi & sequebantur impostores illos in magnam malam rem & certam perniciem. Hoc igitur est, quod conqueritur Servator, se verum Messiam esse, & à Patre missum, neque tamen recipi. At si in posterum venerit quidam planus sive Barcochebas sive alius nihilo melior non missus à Patre sed suis metipsum & propria auctoritate Messia dignitatem sibi arrogarit, cum, inquit, recipietis. Et huiusmodi pseudochristi sive Antichristi ad Judæos maximè spectare, eosque seducturi videntur: quorum tamen apud Matthæum, Marcum & Lucam Servatorem meminisse dicebamus, tales sicut, ut ab iis quoque discipulos suos sibi cavere jubeat, Hæc vero nihil derogant excellenti illi & primario Antichristo, quem ante mundi finem venturum esse & revelatum iri è Scripturæ testimonio Christiani semper crediderunt: Ex eo tamen quod minores & secundarii Antichristi prodissent, colligit Apostolus Joannes haud procul abesse illum primarium & instare tempora ultima. *Filioli inquit, ultimum tempus adest, & sicut audivistis, Antichristum venturum: etiam nunc Antichristi multi caperunt esse, unde scimus, ultimum tempus adesse, 1. ep. 1, 2, 18.* Et verba faciens contra Cerinthum (qui ut Irenæus testis est lib. 1. cap. xxv. Jesum à Christo separabat) *quis, inquit, est mendax, nisi qui negat Jesum esse Christum. Hic est Antichristus vers. 22.* Et mox cap. iv, 3. *Quicumque spiritus non profitetur Jesum Christum in carnem venisse, ex Deo non est. Et hic est ille spiritus Antichristi, quem*
audivi-

audivistis venturum esse & jam nunc in mundo est. Quomodo vero jam nunc in mundo est, quem ante dicebat venturum & quem etiam Paulus negat presentem? Nempe Antichristus tempore Apostolorum in mundo erat, quia in mundo erat spiritus Antichristi, qui spiritus est cacodæmonis, parentis & auctoris errorum ac mendaciorum. Hic, inquam, spiritus armabat & animabat Cerinthum, Ebionem, Carpocratem, ut vel adversus Christi divinitatem insurgerent & unitatem personæ divellerent. Idem suo tempore principem illum Antichristum impulsurus erat, ut se opponeret & efferret supra quidquid dicitur Deus aut numen. Et hoc ipsum est quod monet Apostolus, ut mox audiemus, isto videlicet etiam tempore mysterium iniquitatis hujus peractum fuisse, quamvis ille doceat, nondum apostasiam venisse, nec hominem illum peccati revelatum esse: nempe capit peragi mysterium impietatis, quum diabolus per spiritum falsitatis mentes humanas erroribus imbuere & scissâ turbatâque ecclesia per hæreticos primogenito suo viam munire & domicilium adornare capit. Observandum præterea est, Antichristianismum regnum quoddam esse, eoque comprehendere seriem & successiorem hominum, qui Antichristi personam sustineant. Pontificii omni opera contra nituntur & persuadere nobis volunt Antichristum non nisi fore unum hominem, cujus furis destinati sint tres anni & menses sex, quibus exactis ipse è medio sit tollendus, nullo relicto successore & hærede tyrannidis. Ipsorum enim maximè interest, aut certè eorum, qui ipsi parasitantur, ut verus Antichristus orci galea tectus mortalium oculos effugiat, & à nullis, aut quàm fieri potest, paucissimis agnoscat. Sicut autem in Vet. Testamento Christi personam gerebat sive adumbrabat unus quidem quovis tempore Sacerdos maximus, qui tamen, quod à



morte prohiberetur perennare, suos habebat successores, nec obstabat numerus horum sibimetinvicem succedentium unitati figuræ: Ad eundem ferè modum eidem nostro N. Testamenti sacerdoti & pontifici maximo multis seculis opponitur & adversatur unus Antichristus, qui in continuatione successorum vivacissimus est, unus, inquam, ad eum videlicet modum, ut quovis tempore istam personam non nisi unus sustineat ejusque vita successoribus continetur. Vtitur quidem Apostolus hoc loco singulari numero præpositisque articulis ὁ ἄνθρωπος, inquit, τῆς ἀμαρτίας, ὁ ἡὸς ἀπωλείας, ὁ ἀνικείμενος. Et Daniel capite XI. tanquam unum regem describit: sive potius in uno rege per typum depingit, neque non Apocalypsis in una bestia: Sed notum est typis unicam bestiam integrum sæpe regnum, in quo plurium successio sit, figurare: quin Dan. II. unica statua quatuor magna imperia designat; capite autem VII. quatuor bestia, quatuor regna. Et ipsissima sunt verba prophetæ vers. 17. *Ista bestia magna, qua sunt quatuor, quatuor reges sunt surrecturi de terra.* Vbi quatuor reges minimè singulos reges, sed singula regna significant, neque singularis numerus unicum suppositum necessariò infert; ita dicimus, imperatorem Romanum eligi, regem Gallia nasci, non quòd de unico homine tale quid acceptum velimus, sed quòd ea vera sint de quibuscunque, qui isto loco fuerint. Et in hisipsis Apostoli verbis: ὁ κατέχων non unicum individuum sed Rom. imperium, & omnes in urbe cum potestate futuros imperatores denotat. Similiter Matth. XII, 35. ὁ ἀγαθὸς ἄνθρωπος, Et II. Tim. III, 17. ὁ τοῦ θεοῦ ἄνθρωπος, etiamsi articuli adhibeantur, unum tamen singularem hominem non designat. Ita Marc. II, 27. τὸ σαββατον διὰ τὸν ἄνθρωπον ἐγένετο, οὐχ ὁ ἄνθρωπος διὰ τὸ σαββατον. Sed in re manifesta nihil opus est exemplis. Vrgent maxime, quod nos & supra ex Joh. cap.

cap. v. adduximus: *Si venerit alius nomine suo, eum recipietis;* sed id quem sensum habeat, ostendimus. Et si dicam ego: Si venerit alius præter Bellarminum & Baronium, scil. qui Pontificem defendat, eum quoque pontifex præmiis afficeret, num ita dicendo non nisi singulare individuum denotatum eo? Joh. x, 5. dicit Servator: *Alienum nequaquam sequentur, sed fugient ab eo.* & vers. 12. *Mercenarius est qui non est pastor, relinquit oves & fugit:* quis autem dicet, hisce loquendi modis non nisi unam personam significari. Cæterum, ut ineptis hujuscemodi objectiunculis omissis ad rem propius accedamus, hoc, credo nobis largientur ad unum omnes, neque refragabuntur ipsi Pontificii: si demonstraverimus, quæ in sacris literis per Sanctum Spiritum de Antichristo prædicta & consignata inveniuntur, ea omnia ad unguem in Pontificem Rom. quadrare, & exactè convenire; tum nos evicisse, Romanum Pontificem esse Antichristum. Nam si de Servatore nostro Domini Jesu demonstramus, verum illum Messiam esse & Redemptorem mundi, quòd in ipsum quadrent omnia, quæcunque de Messia à patribus & prophetis prædicta fuerunt, quidni pro hoste & adversario ejus habeamus, cui cognoverimus ea cuncta convenire, quibus adversarium illum insignem fore scripturæ testantur? Neque alia ratio excogitari poterit, eum, de quo agimus, adversarium cognoscendi & indagandi. Certum autem est. Ecclesiam adversus pericula, quæ ab Antichristo impenderent, præmunitam, deque adventu ejus maturè præmonitam fuisse. Hinc enim Johannes: *Audivistis Antichristum esse venturum* 1. ep, 11, 18. 14, 3. Et hoc loco Paulus: *Annon meministis me cum adhuc apud vos essem, hac dixisse vobis.* Qui verò è sacrosanctis autoribus Antichristum nobis describant, suisque proprietatibus quasi lineamentis, & rebus gestis, tanquam coloribus depingant, tres sunt, Propheta

pheta Daniel , Apostolus gentium Paulus in Epistolâ posteriore ad Thessalonicenses, & S. Joannes in sua Apocalypsi. Apocalypsin totam mysticam esse constat, & librum signatum, qui non facilè intelligatur; Daniel autem clarisque non directè sed typo & figurâ Antichristum adumbrasse censetur. Verba autem Apostoli nostri omnium clarissima sunt, quæ ubi exposita fuerint & constiterit, de quo sint accipienda, luculentam faciem præferent ad cognoscendum abstrusiora & ab intellectu nostro remotiora Joannis oracula. *NON ADERIT, ait Apostolus, DIES CHRISTI ANTEQVAM VENERIT PRIVS ^{ἢ ἀποστασία}. Quin magnam & insignem aliquam ἀποστασίαν intelligat, & quidem non unius hominis, sed plurimorum & magnæ partis orbis terrarum eamque non brevem sed pertinacem & diuturnam, ea vero de re dubitare non potest, qui vim verborū expendit. Vnum hominem si intelligi voluisset, dixisset potius venturum esse apostatam. Apostasia vero quia appellatur, defectio & discessio erit à sinceritate religionis Christianæ, quemadmodum dicitur ἀποστασία ἀπὸ μώσεως Act. XXI, 22. His verbis inter Christianos, & ad Christianos factis, ἀποστασία à puritate religionis Christianæ insinuatur, cui quàm maximè adversatur homo peccati & filius perditionis. Falsa igitur est opinio nonnullorum veterum & hodie Pontificiorum statuentium, Antichristum fore gente Judæum è tribu Danitarum: Judæum enim nemo Christianorum apostatam unquam vocavit. Commentarius tributus Ambrosio, Primasius & Sedulius defectionem à Romano imperio interpretantur. Et verum quidem hoc est. Nam, ut exponitur postea, nō veniet Antichristus, quin prius valde imminuetur Roma in imperii potentia, & plurimæ ab eo defecerint provinciæ: Apostasian tamen à fide potius, quàm ab imperio Apostolum intellexisse, cum melioribus interpretibus credimus, cum

cum inter fideles simpliciter apostasian dicendo defectio-
nem à fide significare consueverimus. Sequitur: ET REVE-
LATVS FVERIT HOMO ILLE PECCATI, FILIVS
ILLE PERDITIONIS: Revelari nihil aliud est, quàm in
medium prodire & conspicuum fieri, ut agnosci possit, quod
prius latuerat. Mox enim dicit vers. 7. *mysterium peragi*. Si
mysterium est, exordia ejus haud ita facilè fuerit observare
vel annotare. Vbi nempe progressus fecerit, eò amplitudi-
nis deveniet, ut jam occultari & latere nequeat, sed dabitur
illic animadvertere & agnoscere, qui rerum suarum sata-
gent & oculis uti volent. Revelabitur igitur aliquando ho-
mo ille peccati & filius ille perditionis. Hi tituli ejus sunt
& quod ipse peccet & quod alios faciat peccare: Et quod
ipse perditus sit atque alios secum in perniciem ducat, ut re-
ctè exponunt Theodoretus & Chrysostomus. Observavi-
mus supra regnum aliquod iniquitatis prædictum esse: ide-
oque de uno homine ista accipi non debent, quamvis accipi
debeant de uno Antichristo, cujus vita in successoribus per
aliquot secula prorogetur. Haud igitur sensus fuerit omnes
eos ex æquo malos fore & improbos, sed suffecerit plures
hinc reperiri tales, quàm in alio ullo regno. HOMO ILLE
PECCATI, hoc est, flagitiosus, qui ita deditus sit peccato &
flagitiis, ut nullum aliud exemplum prius inveniatur in toto
mundo. Et puto ego à temporibus Phocæ, quando hoc Pon-
tifici tributū, ut esset caput & summus Monarcha, inter Pon-
tifices fuisse homines sceleratos, ita ut nullum imperium sit
in toto orbe, in quo sceleratiores & magis abominandi ho-
mines inventi fuerint, quàm in Romano. Hoc posset pro-
bari ex scriptoribus partium pontificiarum, si requireretur.
Hoc autem in Rom. pontifices convenire, ex quo pontifi-
ces facti sunt & Catholicæ ecclesiæ œcumenici principes di-
ci voluerunt (ex eo enim in Antichristos degenerasse adse-
rimus)

rimus) demonstrare facile fuerit, si opus esset, aut magnopere negarent ipsi pontificii. Qui enim considerarit, quomodo ordines illos Hierarchicos, sine quibus nihil in orbe terrarum consistere potest, nihil legitimum aut ordinatum est, turbarent ac deoedarint Romani Pontifices; animi haerere dubius non potest quin inciderit in illos, quibus notæ & elogia ista conveniunt. Antiqua ecclesia, ut etiam hodie Orientalis continentiam & castum ordinis sacri cælibatum admirata semper fuit, suisque commendata esse voluit: necessitatem vero aut laqueum presbyteris neququam iniecit. Pontifex vero libertatem ademit, necessitatem imposuit, atque ita innumeros mortales, qui in conjugio castè vixissent; ad vagas libidines impulit & in barathrum immundæ spurcitiei coniecit; sed & eò impudentiæ devenerunt, ut professi fuerint satius esse sacrorum ministros in lustris volutari quàm in conjugio vivere. Quanquam non nemo eorum agnovit, si aliqua quondam fuissent causæ adimendi sacerdotibus uxores legitimas, multo jam plures & graviores esse, ob quas restitui debeant: nempe habuit in animo frequentes scortationes & crebra adulteria, & si quæ sunt turpiora flagitia, fructus videlicet & proventus per inexorabilem legem inuncti cælibatus. Neque hæc exigua est sive perturbatio sive injuria ordinis sacri, quòd Catholicæ ecclesiæ Episcopos omnes sibi juramento obstrictos suaque quasi volunt esse mancipia. Adde, Cardinales in inferioribus ordinibus constitutos hoc saltem nomine, quòd pontificibus adsideant & quasi delecti sint consilarii, Episcopis ipsis præferri, imò, ut habet sanctio Sixti V. regibus æquari. Quomodo enim imperia & republ. turbarent, ne lippis quidem & tonsoribus, quod ajunt, ignotum esse potest; quàm sæpe imperatoribus & regibus à subditis suis obedientiam præstari noluerunt Romani pontifices & sæpe ne præstaretur obtinuerunt, sæpe populum in principes
conci-

conccitarunt, & à jure naturæ, à jure jurando solutum infestis animis & armis in Dominos suos excommunicatos scilicet grassari jusserunt. Excommunicatione quidem primitivæ ecclesiæ Patres usos fuisse non nego : per hanc enim separabant à sacris & communionem ecclesiæ flagitiis notoriis sine poenitentia deditos, non quòd perditos vellent, sed ut cum ipsos externâ contumeliæ specie, imprimis vero denunciatione iræ judicii que divini territos in viam reducerent, tum alios vivo quasi exemplo ob oculos posito cautius mercari docerent : interim in nullius opes, fortunam aut dignitatem, nedum vitam quidquam juris sibi sumebant, multò minus, de regnis statuebant, aut excommunicatos imperiis spoliabant, eorumvè subditos à fide & obedientiâ præstandâ prohibebant. Excommunicabat, ut notum est, Ambrosius Theodosium Magnum, quod Thessalonicæ præcipiti & calido consilio crudele quid in insontes juxta & fontes statuisset; imperatorio tamen fastigio non devolvebat, regnis & provinciis non exuebat, neque subditos à juratâ fide solutos esse jubebat : At quem imperatorem, quem Regem Romanus Pontifex fulmine suo umquam afflavit, quem non simul solio deturbavit & dignitate privatum infra principis, imò hominis conditionem dejecerit? Enormia flagitia aut hæreseos crimen olim severitatem Patrum irritabant, ut sacris & communionem fidelium interdicerent, quos alia ratione corrigi posse desperabant. At noster horribile suum anathema orditur, quoties principes sui memores dignitatem tuentur, & permissâ ipsi quidvis pro libidine agendi licentiâ, ne quid republ. detrimenti capiat, curant. Decrevit quidem Innocentius III. in Concilio Lateranensi, ut qui principes in suis terris hæreticos tolerarent, excommunicati dominiû in vassallos & subditos amitterent. Nolo nunc disputare, potestatem in principes eorumque jura injustè ab hoc Innocentio



usurpatam esse : id tantum dico, bene vobiscum actum fuisse, imperatores & principes, si non nisi ob hæreseos crimen dirâ sententiâ metuenda & expectanda vobis fuisset. Quæ enim hæresis fuit Henrici IV. qui à Gregorio VII. imperio exutus & inferno adjudicatus, cum tandem fractus malis tyranno supplex fieret, & abjecto regio cultu integrum tri-duum asperâ hyeme sævitiam & insolentiam immanissimæ feræ patienter tolerasset, vix in conspectum admitti potuit? Certè admissus & anathemate etiam solutus dignitati & imperio restitui non potuit. Quæ, inquam, ejus fuit hæresis, nisi quod suavis homo (Gregorius VII.) jus imperatorum avitum & hæreditarium conferendi dignitates sive investituras ecclesiasticas per annulum & baculum, ut vocant, Simonis hæresin indigitavit : ad eundem planè modum, quo casta presbyterorum conjugia, Nicolaitarum turpitudinem, turpissima bellua nominavit. Aut quæ alia fuit hæresis Henrici V. quàm quod jus investituræ non magis quàm parens suus Romanis pontificibus cedere nollet. Hac tamen ipsâ de causâ à Paschali II. anathema audire cogitur, ab eodem illo, à quo naturæ leges & dictamina posthabere doctus (an persuasus in ejus unius gratiam) adversus parentem annis sumptis insurrexerat, & extremâ impietate sese obstrinxerat, ut si anathemati subiiciendus fuisset, ob culpam cujus pontifex autor & incentor erat, subiici debuisset. Neque vero dicere poterunt, quem articulum fidei labefactarit Fridericus Aenobarbus princeps omnium autorum testimonio artibus & virtutibus ad rempubl. gerendam instructissimus, in hunc tamen nihilo æquior fuit Alexander III. Nullam profectò aliam ob hæresin, nisi quòd exorto inter pontifices schismate arbiter captus Synodum Papiæ indixerat, in quâ contra contumaciam Alexandri pronunciatum erat. Neque Otho IV. fulmen Innocentii III. à quo tamen

olim

olim contra Philippum Sueuum excitatus & defensus erat, evitare potuit, non quia errores doceret, sed quòd imperio, ut imperatores decet, urbes & provincias, in quas pontifices involarant, vindicare conaretur. Eandem etiam non aliam ob hæresin toties anathemate petitus, insuper periculosis & inanibus in Palæstinam expeditionibus vexatus & fatigatus est ab Honorio III. Gregorio V. Innocentio IV. laudatissimus Imperator Aenobarbi nepos Fridericus II. Et ut hinc abeam, Ludovico Bavaro sua magnanimitas hæresis fuit, ob quam à Joanne XXII, homine profano diris devotus & imperio exutus est. Unusquisque enim imperatorum, quo animo & fortitudine major, juriumque imperii tenacior, eò Pontificibus fuit invisior. Imperatoribus unius atque alterius regis exemplum subjungemus, ne soli Cæsares injuriis Paparum expositi videantur, Bonifacius VIII. Philippo pulchro Gallorum Regi, misso Episcopo Adamensi, imperiosè & protervè nec sine minis expeditionem in Palæstinam injungit. Rex importunitate hominis & indignitate rei exacerbatus, legatum comprehendi & in carcerem compingi jubet, Ibi Bonifacius bacchari, & per alium legatum, ut faciat missum Episcopum, imperare, anathema & regni privationem & subditorum à sacramento solutionem minitari. Impetravit quidem tum temporis, quod voluit, dimissionem legati sui, verùm cum Philippus contumeliarum impatiens, ne quid argenti Romam deportaretur, prohibuisset & Lutetiæ synodum adversus tantam arrogantiam coëgisset, ibi demum Pontifex plenis irarum velis in regem in-vectus, diras & anathemata expedire, regnum auferre & Alberto Cæsari Austriaco conferre, & huic tamen, ut imperium, quod nullo jure debebatur, confirmaret, nunquam antea induci poterat: nunc regnum, quod non debebatur, de alieno liberaliter elargitur, ut potentissimos orbis prin-

D 3 *capitulum ex his* cipes



cipes mutuiter collidat. Pari audacia in Petrum Arragoniæ regem Martinus IV. ufuserat : immisso enim anathematis fulmine in perniciem ejus cruce signatos concitarat, & Arragoniam, incolis à juramento solutis, in prædam occupare volentibus exposuerat, non quia aliquod dogma pontificiæ religionis in dubium vocasset, sed quòd à Siculis Gallorum libidines & sævitiam memorabili illâ vesperâ vindicantibus in auxilium accitus, regnum jure alioqui sibi debitum occupasset. Nondum deleta est ex animis hominum memoria Joannis Lubretani, cui Julius II. regnum Navarræ ademit idque Ferdinando Arragoni adjudicavit, nullam aliam ob hæresin, nisi quòd sese unà cum Ludovico XII. Gallorum rege furenti, & ruptis fœderibus cœlos terris miscenti, opponeret. Quum Jacobus Clemens monachus Dominicanus ante triginta & septem annos Henricum III. Galliæ regem immuni parricidio sustulisset; Sixtus V. in Consistorio Cardinalium facinus in cœlum immensis, imò immanibus, extulit laudibus, & mysterio incarnationis resurrectionisque Filii Dei assimilavit Oratione, quæ à Pontificiis Lutetiæ Parisiorum edita fuit. Nonne hoc est, hominem peccati esse, qui & ipse peccet, & alios peccare faciat? Nonne hoc est, esse filium perditionis, semetipsum perdere & alios unà perditum ire? Nihil tam naturæ consentaneum, quàm liberos parentibus obedire & observantiam, quantamcunque possunt, exhibere. Hanc legem Deus tulit, animisque humanis natura in scripsit. Hac tamen lege post habitâ Henricum V. imperatorem in patrem suum Henricum IV. insurgere docuit Paschalis II. quemamodû paulò antè dicebamus. Et, annon hodie etiam contendunt liberos, si ad vota transire velint, & Dominico vel Francisco nomen dare cupiant, à parentibus prohiberi non posse. Super sedebimus autem recensendis singulorum Pontificum sceleribus & facinoribus, quæ cuivis ex historicis fide dignissimis cognoscere prom-

Anno Christi
1589.

promptum est; neque enim inficias eunt ipsi pontificiarum partium defensores. Bellarminus præfat. in Controversi. de Pontifice. *Permisset, ait, ad extremum Deus, ut etiam quidam parùm probi pontifices aliquando hanc sedem tenerent & regerent, quales sanè fuerunt Stephanus VI. Leo V. Christophorus I. Sergius III. Joannes VII. alique non pauci, si vera sunt, quæ de eorum vitâ & rebus gestis apud historicos eorum temporum scripta leguntur.* (Vnde autem nisi ex historicis singulorum temporum de rerum gestarum veritate nobis constabit) *Itaque nihil est, inquit, quod hæretici laborent, in quorundam Pontificum vitiis conquirendis. Nos enim agnoscimus & fatemur, ea fuisse non pauca, (at hoc ipsum sufficit nobis ad id, quod modò ostendere volumus, probandum) tantum abest, ut iis autoritas (gloria) hujus sedis obscuretur aut minuatur, ut iisdem potius (vitiis scil.) vehementer crescat & amplificetur.* Esto ergo secundùm ipsum sedes pontificia ejusmodi, quæ vitiis vehementer crescat & amplificetur, & pontifex esto homo vitiis vehementer deditus, qui que per vitia crescat & amplitudinem acquirat. In Chronologia, quam libro de scriptoribus ecclesiasticis subjecit, circa decimum seculum; *Vide, scribit, seculum infelix, in quo nulli scriptores illustres, nulla Concilia, Pontifices parùm solliciti de republ.* Et sequente seculo: *His temporibus, quibus Pontifices Romani à pietate veterum degenerarant, Principes seculi sanctitate florebant.* Iam enim in sede Romanâ haud modica Antichristianismi jacta erant fundamenta. Cæsar Baronius in Annalibus suis idem fateri cogitur. Sed ille se solatur reliquiis barbæ Apostoli Petri, per quas in Galliâ miracula edita & gloriam Romanæ sedis, in quâ turpissimos homines & mera monstra aliàs agnoscit conservatam fuisse scribit, in anno nongentesimo secundo. Operæ videtur precium adducere verba Platinæ. Scribit autem in Benedicto IV. *Sanctitate & doctrina pontificium*

tificium decus sine ullis opibus primò quidem auctum est inter tot hostes & obstinatos persecutores Christiani nominis: mox vero ubi cum ipsis opibus lasciuire capit ecclesia Dei, versis ejus cultoribus à severitate ad lasciuiam, peperit nobis tanta licentia peccandi, nullo principe flagitia hominum tum coërcente, hæc portenta; à quibus ambitione & largitione sanctissima Petri sedes occupata est potius quam possessa, Pontifices, eorum temporum portenta vocat; & mox in Christophoro I. monstra quadam. De Joanne XVI. scribit, quòd divina humanaque omnia cognatis & affinibus suis elargitus fuerit; posthabito Dei honore & Romanæ sedis dignitate; quem certè errorem, ait, ita posteris tradidit, ut ad nostram quoque ætatem pervenerit. Quæ consuetudine nihil potest dici perniciosius, cum non ob religionem & Dei cultum appetere Pontificatum nostri sacerdotes videantur, sed ut fratrum, vel nepotum vel familiarium ingluuiem & avaritiam expleant. Hoc de Romanis Pontificibus pontificii ministri testimonium & judicium. Videamus, quoniam reliquos non licet, obiter eos, qui priusquam ecclesiæ nostræ ab eorum communione sejungerentur, rerum potiti fuerunt. Paulum II. die dormientem, & noctu vigilantem attrectantemque gemmas & margaritas, adire difficile erat. Humanitatis studia ita oderat & contemnebat, ut ejus studiosos uno nomine hæreticos appellaret. Hanc ob rem Romanos adhortabatur, ne filios diutius in studiis literarum paterentur institui, satis esse si legere & scribere didicissent. Hæc omnia Platina testis oculatus. Successori ejus Sixto IV. ex fide & vero hujusmodi scriptum fuit Epitaphium:

Sixte jaces tandem; deslent tua busta Cynedi,

Scortaque, lenones, alea, vina, venus.

De Innocent. VIII. Octo Nocens pueros genuit totidemque puellas,

Hunc verè potuit dicere Roma patrem.

Spur.

Spurcities, gula, avaritia, atque ignavia deses

Hoc, Octave, jacent, quo legeris, tumulto.

Alexander VI. ut scribit Onuphrius, historicus Papis additissimus, perfidiâ plusquam punicâ, sevitiâ immani, avaritiâ immensâ ac rapacitate inexhaustâ parandi filio imperii per fas & nefas libidine. Mulieribus maxime addictus, ex quibus quatuor filios & duas filias tulit. De ipso ejusque filiâ Iovianus Pontanus:

Conditur hoc tumulto Lucretia nomine, sed re

Thais, Alexandri filia, sponsa, nurus.

Julii II. perfidia, immanitas & crudelitas omnibus nota est, ut ipse Onuphrius, armis magis, quàm sacrosanctum pontificem deceret, deditum fuisse agnoscat.

Sequitur apud Apostolum: ILLE SESE OPPONENS ET EFFERENS SVpra QUIDQVID DICITVR DEVS AVT NVMEN, ADEO VT IN TEMPLO DEI TANQVAM DEVS SEDEAT, PRÆ SE FERENS SE ESSE DEVM. Dubium non est, quin inter omnes notas Antichristi hæc sit primaria, & si hanc solam Romano pontifici convenire evicerimus, rem factam habebimus. Priusquam autem id præstemus, nonnulla observari cupimus. Vnum est mysterium hîc peragi. Haud igitur existimandum est, fore ut in medium prosiliat hominum quidam, qui clamet se Deum esse, creatorem coeli & terræ, æternum, & infinitæ sapientiæ & potentiæ. Neque enim mysterium id esset, sed res ridicula, & insulsum istum divinitatis candidatum mortales in carcerem compingerent, vel Anticyram navigare juberent. At, uti nos docuit Spiritus Sanctus mysterium perragetul, quod in oculos & sensus omnium non incurrat. Cuniculos ager ille adversarius, & non quidem ita nudè & jejunè se Deum dicet, sed ea rantam sibi arrogabit, quæ sunt Dei, ac sine sacrilegio & blasphemiâ alteri tribui nequeunt:

E

interim

7.4.

interim nomen potius & auctoritatem Dei, quàm vel suam ipsius vel cuiusquam alterius præ se feret, seque Dei jussu & instinctu agere quid agit. Alio modo à nemine mortalium, ne Muhammetanis quidem vel Judæis, unius Dei creatoris cœli & terrarum tenacissimis, admitteretur. Atque hoc ipsum fuerit in templo Dei tanquam Deum sedere, & se ut Deum ostentare. Hoc enim phrasis ipsa & modus loquendi innuit: non quòd doceat aut dicat Deum se esse, sed quod nullo pari admissò, tanquam Deum se jactet & magnificeri cupiat. Vt si dicam: Effert se & ostentat tanquam regem; non est sensus: Dicit se esse regem, sed regio quodam fastu & magnificentia utitur. Alterum est, quod observari volumus, illum adversarium, qui sub opinione falsæ pietatis, sub specie Evangelicæ prædicationis, ut alicubi loquitur Hilarius, Christo contrarius est, dignitatem affectare non alibi, quam in templo Dei, hoc est, in ecclesiâ. Pontificii jubent, ut oculos extra ecclesiam in templum Hierosolymitanum coniiciamus, atque in eo sedentem Antichristum expectemus: Quasi verò templum Hierosolymitanum jam templum Dei sit, aut quasi unquam reparari vel resuscitari possit, quod æternæ desolationi addixit Deus, & cui è ruinis excitando quum accingerentur Judæi, subnixi auxilio & opibus Iuliani Apostatæ, elementa adversus conatus suos insurgentia, & naturam obluentem, & iram Dei omnipotentis experti sunt. Illud templum, si diis placet, ubi & Christianos & Turcos debellarit, in integrum restituet Antichristus, quem pontificii fingunt; inque eo dominabitur, tantamque rem præstabit nondum integris annis quatuor. Sed nos scimus verè Antichristum in ecclesiâ Christi regnum obtinere, & tyrannidem exercere. Sanè scribit alibi Apostolus fideles esse *templum Dei*, I. Cor. III, 16. II. Cor. VI, 16. Et *ecclesiam esse domum Dei* I. Tim. III, 15. Et in Apocal. III, 12.

Qui

*Qui vicerit dabo ei ut sit columna in templo Dei mei: Notum-
que est sub finem prophetiæ Ezechielis in figurâ templi ec-
clesiam designari & describi. In simplicem itaque sensum
& N. Testamento usitatum, hîc accipimus, ut sedere in tem-
plo Dei, idem nobis sit quod sedere in domo Dei, quæ eadem
est ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis, I.
Tim. III, 15. Augustinus quidem Antichristum in templo
Dei sedere perinde juxta plurium sententiam esse existimat,
atque Antichristum cum suis ecclesiam sese venditare. Ver-
ba ejus sunt de Civitate Dei lib. xx. cap. XIX. *In quo templo
Dei, ut Deus sit sessurus, incertum est: utrum in illâ ruinâ tem-
pli, quod à Salomone Rege constructum est, an verò in ecclesia.
Non enim templum alicujus idoli, aut demonis, templum Dei
Apostolus diceret. Vnde nonnulli, non ipsum principem, sed uni-
versum quodammodo corpus ejus, id est, ad eum pertinentem ho-
minum multitudinem simul cum ipso suo principe hoc loco intel-
ligi Antichristum volunt. Rectiusque putant esse, latine dici
sicut in græco est: non in templo Dei, sed in templum Dei sedeat,
tanquam ipse sit templum Dei, quod est ecclesia. Non malè ad
ad propositum illi, ex quorum mente loquitur Augustinus.
Notum enim est pontificem prædicare se solum cum suis
esse ecclesiam. Quin ajunt: solus pontifex ecclesiæ loco
est, qui sensus pontificis, hic etiam est ecclesiæ. Et Gretserus
defens. Bellarminian. Tom. I. *Quando ecclesiam dicimus
esse omnium controversiarum fidei judicem, intelligimus Ponti-
ficem Romanum. Certiùs tamen & simplicius, qui simplici-
ter Antichristum in ecclesia tyrannidem esse exercituum
dicunt. Theodoretus, Dei templum appellavit ecclesias, in
quibus primam sedem arripet. Chrysostronus: Jubebit seipsum
colli sicut Deum, & collocari in templum Dei, non in Hierosoly-
mitanum solum, sed & in ecclesias. Paria habent, ut solent,
Theophylactus & Oecumenius. Thomas utramque exposi-***



tionem Augustini scil. & aliorum coniungit. *Quidam*, ait, *dicunt*, quod nunquam Hierosolyma & templum reaedificabitur. Et hoc etiam aliqui Iudaei credunt. Ideo exponitur, in templo Dei, hoc est, in ecclesia, quia multi de ecclesia illum recipient. Vel secundum Augustinum, in templo Dei sedeat, hoc est, precipiat ac dominetur tanquam ipse cum nunciis suis sit templum Dei. Hieronymus epist. 151. ad Algasiam quaest. 11. In templo Dei, vel Hierosolymis, ut quidam volunt, vel in ecclesia, ut verius arbitramur, Hilarius lib. contr. Auxentium de templis Christianorum? Male, inquit, vos parietum amor cepit, male ecclesiam Dei in tectis adificiisque veneramini: anne ambiguum est, in his Antichristum sessurum. Non est igitur quod extra ecclesiam Antichristum quaeramus, quod si autem in ecclesia sedebit & dominabitur, pastorem, doctorem & episcopum ecclesiae sese gerat necesse est. In ecclesia enim quatenus est ecclesia: nemini aliàs jus alicujus dominationis posset competere. In Romanum Pontificem hæc quadrant omnia, nec in alium quenquam, quin ne quid dubium sit, ipse amat hoc vocabulo uti, & se dicit sedere: Quod autem majus est, audit à suis, quin & à semetipso ecclesiae caput. Tituli hi solius Christi sunt, & quis it inficias? At ille se non quidem primarium caput vocitat, sed secundarium, num igitur & secundarius est sponsus? adulter utique erit. Et si secundarium caput est, quidam secundarius sit Christus? At secundarius Christus nullus vel fingi vel pingi potest quam Antichristus. Porro ne solo nomine aut titulo sponsi capitisque ecclesiae contentum esse pontificem existimemus, rem ipsam sibi arrogat & violenter usurpat. Quid enim magis proprium Christo, quid Deo, quam articulos fidei condere, quos qui reiiciat, hæreticus sit & æternæ salutis exfors? Articulorum autem fidei fanciendorum potestatem Pontificem sibi arrogare nos pluribus ostendimus; & Baro-
nius

nus scribit apertè ab arbitrio Rom. Pontificis pependisse fidei decreta sancire & sancita mutare; ipsissima hominis verba sunt tom. IV. in anno CCCLXXIII. parag. 21. Ne vero tantam facultatem nullo jure sibi sumere videatur, & nihil in arrogandâ divinitate omittat, se ἀναμάρτητον esse fingit, & ab omni errore, quum ecclesiam de articulis fidei docet, immunem. Res quidem ridicula est, hominem illum, qui à nobis tot errorum accusatus & convictus est, in medium prosilire & respondere, quòd ne quidem possit errare. Ita Alexander soluebat nodum Gordium. Nobis tamen sufficienti indicio atque argumento est, eum qui autoritatem & interpretationem S. scripturæ à suâ autoritate & interpretatione suspendat, qui se solum adserat esse ἀναμάρτητον, & posse sciscere quæ obligent universum populum Christianum, & à quibus vel latum unguem secessisse nefas fuerit, æternâ morte piandum; eum, inquam, hominem, quicumque tandem sit, certum est sedere in templo Dei & in ecclesia Christi tanquam Deum & sese ibi ut Deum ostentare. Præterea cujus est, vota Deo facta, & juramenta invocato nomine divino præstita solvere, nisi unius, cui facta sunt, & cujus adorato numine præstita sunt, Dei? Hæc tamen omnia suo libitu & arbitratu Pontificem quotidie dissolvere atque irrita esse jubere, neque nos ignoramus, neque inficias eunt Pontificii. Eâdem sive potestate sive licentiâ matrimonia vel solvit vel jungit, pro ut visum est: neque enim obscuro sunt aut ignorantur, qui nostrâ quoque ætate dispensante, ut loquuntur, Pontifice, suas ex fratribus & sororibus neptes duxere. Innocentius III. determinans sive dispensans in casibus, quos cum jure connubiorum parem vult obtinere rationem, aliquoties disertè profitetur, se Dei locum in terris tenere, & vinculum matrimonii rati jam & consummati inter episcopum & ecclesiam, occasione translationis ad aliam sedem, dissol-

vere non ut hominem, sed ut Deum quia quos Deus conjunxerit, nequeat homo separare, sed Deus. Videantur cum epistolæ ipsius Innocentii, tum quæ ex iis Decretalium lib. i. tit. de translatione episcopi inserta sunt. Porro ne quicquam arrogantia Antichristianæ deesse intelligamus, in memoriam revocanda sunt, quæ rectè scripsit Tertullianus Apologetici cap. xxx. *Imperatores in Dei solius potestate sunt, à quo sunt secundi, post quem primi.* Et libro ad Scapulam cap. ii. *Colimus, ait, imperatorem ut hominem à Deo secundum, & quidquid est, à Deo consecutum, & solo Deo minorem; sic enim omnibus major est, dum solo vero Deo minor est.* Egregiè item Optatus Milevitanus lib. iii. *Cum super imperatorem, inquit, non sit, nisi solus Deus, qui fecit imperatorem, dum se Donatus super imperatorem extollit, jam quasi hominum excefferat metas, ut se ut Deum non hominem aestimaret, non verendo eum, qui post Deum ab hominibus timebatur? Quid de Pontifice igitur judicabimus? nam eum non modò imperatorem non vereri, sed imperatore sublimiorem, quin pro Domino imperatoris sese gerere, ne verbis quidem aut probatione ullâ indiget.* Adrianus IV, in epistola ad Episcopos Germaniæ, quam lib. vi. annalium Aventini insertam legimus, in hæc verba erumpit: *Per nos imperat imperator; quod habet, totum à nobis habet; sicut Zacharias transtulit imperium à Græcis ad Teutonicos, ita & nos possumus ab Alemannis transferre ad Græcos. Ecce in potestate nostra est, ut demus illud, cui volumus, propterea constituti à Deo super gentes & regna: ut destruamus, evellamus, edificemus & plantemus.* Hactenus Adrianus & quidem in causâ adversus Fridericum Aenobarbum, imperatorem ab omnibus historicis à pietate, clementiâ, fortitudine commendatum Sed & huius filium Henricum VI. inauguraturus Celestinus iii. cæsareum diadema manibus tangere dedignatus est, nempe inter pedes suos positum,

tum, pedibus acceptum pedibusque sublatum capiti imperatoris & imperatricis imposuit & impositum mox in argumentum absolutæ potestatis suæ, pedibus iterum deturbavit. Ita in solenni actu coronationis Augustorum se gessit Celestinus, sceleratius an arrogantius incertum. Denique *Deus est, qui removet Reges & constituit Reges* Dan. II, 21. Per ipsum enim reges regnant & dominantur principes. At quid Adrianus IV. dixerit, quid Celestinus III. fecerit, modo exponebamus. Gregorius etiam VII. in Henricum IV. detonans omnes intelligere & agnoscere cupit, imperia, regna, principatus & quidquid habere mortales possunt, se auferre & dare posse. Bonifacius VIII. pronunciat utrumque gladium & materiale & spirituale esse in potestate ecclesiæ, hoc est, secundum ipsum, Romani Pontificis; & subjungit, *subesse Rom. Pontifici, omni humana creatura, declaramus, dicimus, definimus & pronunciamus, omnino esse de necessitate salutis, C. unam sanctam*, Extra vagante communi. Quid vero plenæ perfectæque divinitatis usurpationi nunc deest, nisi ut angelis quoque superiorem se gerat, & in illos quoque imperium sibi sumat Pontifex? At sumpsit Clemens VI. ne quid desiderari posset. Quum enim jubilæum, quod Bonifacius modò nobis dictus, VIII. centesimo quoque anno peragendum instituerat, ad quinquagesimum revocaret, & Anno Christi MCCCL. celebrari vellet, *prorsus mandat* (verba ejus sunt) *Angelis paradisi, quòd animam* (hominis scil. qui Romam ad jubilæum profectus, peregrè obierit) *à purgatorio penitus absolutam, in paradisi gloriam introducant*. At fortè sola Dei appellatio usurpata tandem defuerit & quid referret, quandoquidem rem usurpat? *Confer par. 1. Respons. contr. Maguntinos s. 97.*

At ecce eam & quidem in ipsis glossis approbatis juris Pontificii ex editione Gregotii XIII. *Credere DOMINVM DEVM NOSTRVM PAPAM, non potuisse statuere prout statuit,*

*tuit, hæreticum censeretur. Extravagante cum inter. t. de verborum significatione sub finem. Hæc non expungunt Magister, quem vocant, sacri Palatii, cæteri que libris expurgandis an depravandis intenti, homines alioquin adeo e-munetæ naris, ut Erasmus aut Melanchthonem viros doctos appellari ferre nequeant, sed ejusmodi elogia, ubicunque deprehenderint, eradi & deleri jubeant. Neque est, quod à Poëticiis elegantiss & grandiloquentiâ excusationem vel prætextum mutuentur. Absolutè enim DOMINVM DEVM NOSTRVM dicit Glossa, & sambucam citius caloni aptaveris alto, quàm glossatori isti poëticum dicendi genus. Similiter Nicolaus I. in Epistola ad Michaëlem imperatorem, ex qua capitulum VII. dist. 79. ita incipit: *Satis evidenter ostenditur à seculi potestate negligari prorsus nec solui posse Pontificem, quem constat à pio principe Constantino, Deum appellatum. Nec posse Deum ab hominibus judicari manifestum est. Si Deum in poëtico, aut alio etiam lato sensu acceperit, nulla fuerit consequentia. Rectissimè itaque Fridericus II. in epistola ad Othonem Bavarix Ducem apud Aventinum annalium lib. VII. Pontifices, ait, Romani affectant dominationem atque divinitatem, nempe ut ab omnibus haud aliter, imò magis quàm Deus timeantur. Et paulo post: Rationem actuum nemini, quasi sit Deus, reddere vult: Id quod soli Deo convenit, usurpat. Concilium Lateranense, quod œcumenicum esse volunt, cœpit sub Julio II Anno Christi MCCCCXII. finitum fuit sub Leone V. Anno Christi MCCCCXVII, editionem actorum probavit & confirmavit ipsius Leonis autoritas, absque quo esset, innocentibus rei que ignaris injuriam videri possemus facere. Introducitur autem in eo concilio sess. 4. ecclesia lacrymans, & provoluta ad pedes Julii II. opem ejus humiliter implorat, & inter cætera his verbis affatur: Tu pastor, tu medicus, tu gubernator, tu cultor, tu denique Deus**

Deus alter in terris. At Deus hic ridiculus & Baalsebul post duos menses, ex quo hæc sibi dici audivisset, extinctus est, eoque ivit, quò pius *Aeneas*, quo divus *Tullus* & *Aeneas*. Succedit Leo X. Is verò audit *Leo de tribu Juda* & *radix David*, sess. 6. Mox ab alio sess. 7. sibi tribui & accommodari patitur, quæ à prophetis & psalte de æterno Dei filio dicta sunt; *Ista scil. dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum; coram illo procident Aethiopes & inimici ejus terram lingent & adorabunt eum omnes Reges & omnes gentes servient ei.* Ab alio sess. 9. conspectus ejus divina majestatis conspectus appellatur; eique uni omnis in celo & in terrâ tradita à Domino potestas affirmatur. Cerebrum in calcaneo gerat necesse est, qui non intelligat, quo loco Romanus Pontifex cum à suis habitus sit, tum ab universa ecclesia, quam per œcumenicam synodum repræsentari docent, haberi voluerit. Si enim hoc non est in ecclesiâ ut Deum sese ostentare, quomodo id aliter fieri queat, nemo mortalium ullo unquam ingenio adsequetur. Quòd si ab Evangelistis & Apostolis Christum verum Deum agnosci demonstramus, quoniam ab iis, quæ de Domino Deo Israëlis dicuntur Christo applicentur: quidni ob eandem rationem Pontificem à Pontificiis Deum haberi pronunciemus? modò honoribus, quos Deo deferimus, contentus fuerit, & non, ut Fridericum II. conqueri diximus, etiam majoris fieri & magis timeri velit, quàm Deus ipse. Sanè Cardinalis Baronius tom. 6. in Anno Christi cccccciv. num. 1. in hunc modum scribit: *Evidenter manutangere quisque poterit, & tu ipse probè conspicias lector, cuncta bene cessisse Theodorico, dum, licet Arianus, nihil voluit imminutum jurium Romani Pontificis.* Atrocius itaque crimen fuerit & præsentiore dignum supplicio Pontifici Rom. obstrepere, quàm divinitatem Filii Dei servatoris nostri, quod Theodoricus fecit, & omnes faciunt

ciunt Ariani, oppugnare. Quod autem notatu dignissimum est, & ab omnibus observari velim, quum huc usque ad summum in illo Concilio Lateranensi impietas processisset, ut non haberet, quo progrediretur amplius, Deum Opt. Max. suorum misertum voluisse, ut densa & illunis superiorum aliquot seculorum nox tandem rareceret, soli que & oculis omnium, qui eucurbitas lippire non mallent, exponeretur ille ἀνομιᾶς & ἀντιχρίστου. Nam quod observatu non pulchrum minus quam jucundū est, quum Anno aræ Christianæ MCCCCXVII. mense Martio finem Consilio isti suo, (in quo tot tantasque blasphemias eruētarant & ne quid absolutæ tyrannidi deesset, sese declaraverant œcumenicis conciliis superiores esse, contra quàm seculo antè Constantiensis Synodus sanxerat) imposuissent: eodem illo anno sub initium Novembris prodiit beatus Lutherus & reprehenso indulgentiarum papalium mangonio, facem mortalibus præluxit, ad cuius radios opertanea Babylonis mysteria penitus intuerentur. Affectatæ & arrogatæ divinitatis Pontificem evidenter à nobis convictum, nemo poterit, credo, inficias ire. * Videamus quæ apud Apostolum sequuntur: ANNON MEMINISTIS ME CVM ADHVC ESSEM APVD VOS HOC DIXISSE VOBIS, nempe præsens vivâ voce Thessalonicenses suos de adventu Antichristi docuerat & præmonuerat, quorum tamen illi bonam partem obliti, ab erroribus non procul aberant. Revocat itaque in memoriã & ita revocat, ut nonnulla subindicet potius quàm disertè proferat, * ET NVNC, inquit, QUID OBSTET, NOSTIS, VT SI REVELETVR SVO TEMPORE, * NAM MYSTERIVM INIQVITATIS JAM PERAGITVR (dicti huius interpretationem supra dedimus) TANTVM QVI NVNC TENET, sive obstat, TENEBIT & obstabit scilicet, DONEC E MEDIO TOLLATVR, * ET TVNC

¶.5.

¶.6.

¶.7.

¶.8.

TVNC REVELABITVR ὁ ἄνομος. Apparet hîc aliqua
 subterfugi, quæ coram quidem essent exposita, sed non ita tu-
 tò literis credi possent. Obstar enim dicit aliquem, eum-
 que aliquando è medio tollendum, quis autem ille sit, non
 dicit. Augustinus quidem lib. de Civit. Dei xx, cap. 19. *Quo-
 niam, ait, scire illos dixit, apertè hoc discere noluit. Et ideo nos,
 qui nescimus quod illi sciebant, pervenire cum labore ad id, quod
 sensit Apostolus, cupimus, nec valemus:* Pauloque post: *Ego
 prorsus quid dixerit me fateor ignorare.* Nos tamen quibus
 experientia & vaticinii complementum facem præluxit, ve-
 rum sensum Deo juvante eruemus. Antichristi sedem Ro-
 mam esse Apocal. S. Joannis, etsi tota mystica est, ita tamen
 exponit manifestò, ut optari manifestius nihil possit. *Vidi,*
ait Joannes, bestiam è mari adscendentem, quæ habeat capita
septem, XIII, I. & postea adducit angelum interpretem, qui
dicat septem capita septem montes esse & dissettè indicet ur-
bem illam magnam habentem regnum super reges terræ.
 At cui incognita est urbs ἐν τάλωφ.

*Septem urbs alta jugis toti quæ præsidet orbi,
 Septemq; una sibi muro circumdedit arces.*

Romæ autem tyrannidem exercere & thronum iniquitatis,
 cui ipsum imperatorem subiiceret, erigere non potuit Pon-
 tifex, quamdiu salva & incolumis superesset majestas & po-
 tentia Romani Imperii. Quid enim? Num Romam teneret
 imperator, & in eadem Româ viveret Pontifex, qui robur &
 firmamentum imperii conculcasset seque diceret supra jus,
 extra jus & contra jus omnia posse, qui non tantum subiici
 ipse Imperatori nollet, sed sibi Imperatorem servire, sibiq;
 potestatem esse vellet diminuendi imperatorem capite, &
 imperium, ad quem lubitum foret, transferendi. Hæc Ro-
 mæ quis diceret aut faceret, quamdiu superesset Romæ im-
 perator & imperatori autoritas & potentia, & exercitus ac

legiones. *μία λόχμη οὐ πρέφει δύο εἰθάρκας*, tales præsertim. Agnoscunt itaq; veteres interpretes Rom. imperii potentiam illam & maiestatem, quæ cætera omnia mundi regna superavit, priusquam consummari queat mysterium iniquitatis, tollendam esse. Augustinus, ut supra diximus, de suo nihil certi habens, aliorū suspensiones se commemoraturum pollicetur, & *quidam*, inquit, *hoc putant de imperio dictum fuisse Romano: & propterea Paulum Apostolum non id apertè scribere voluisse, ne calumniam videlicet incurreret.* Ipse quidem hoc non absurdè credi pronunciat, quod tamen, immeritò Theodoretus improbat & mavult decretum Dei cultumque idolorum in orbe residuum obstare, sive moræ & dilationis causam esse. Ex decreto enim Dei neq; diem Christi, neque Antichristum venturum existimat, nisi prius ex universo orbe eliminetur idololatria. Rectius autem Chrysostomus, quiq; eum sequuntur Theophylactus & Oecumenius, præterea Commentarius Ambrosio tributus, Anselmus sive Herveus & alii de Romano imperio accipiunt. *Vacantem Imperij principatum invadet & tentabit ad se rapere & hominum & Dei imperium,* ait benè Chrysostomus. Neque minus bene monet *meritò anigmaticè & obscurè locutus est Apostolus; neq; enim volebat superfluas inimicitias & inutilia pericula suscipere, ut nos institueret, ne superfluas inimicitias, in nos recipiamus. si quando nihil est, quod necessario urgeat.* Hoc igitur oraculum privatim in Ecclesia deposuerant Apostoli; publicis literis credere nolebant, quod ad summam salutis nihil quicquam faceret, & maximam invidiam si innotuisset, præsentissimumque periculum Christianis conciliaturum esset. Nam si Christiani ad leones deposcebantur, ubi adscendisset Tyberis, aut non adscendisset Nilus, quid futurum fuisse existimabimus, si ex illis unquam audiri aut in illorum libris inveniri potuisset, Romanæ urbi eiusque imperio

perio interitum imminere, audiuiſſent ſeditioſi, novarum rerum cupidi & hoſtes reipubl. Prudenter itaque ubi nulla neceſſitas urgeret, Chriſtianos in periculum conici Apoſtolus noluit, hanc tamen, quam diximus, traditionem de interitu, inquam, Romani imperii ante adventum Antichriſti cognitam fuiſſe priſcis Chriſtianiſ vel unus fidem faciat Tertullianus. Obiecerant Ethnici, Chriſtianos pro imperio Romano & pro imperatoribus nulla vota concipere. Reſpondet autem Tertullianus omninò ſe concipere, quod id ſacræ literæ præcipiant, *Et eſt, ait, alia major neceſſitas nobis orandi pro imperatoribus, etiam pro omni ſtatu imperij rebusq; Romanis, quòd vim maximam univerſo orbi imminentem ipſamq; clauſuram ſæculi, acerbitates horrendas comminantem Romani imperij commeatu ſcimus retardari. Itaque nolumus experiri & dum precamur differri, Romana diuturnitate favemus.* τὸ κατέχον itaque eſt Romanum imperium & quidem in urbe ipſâ Româ, & ὁ κατέχων Romanus eſt imperator. Non autem unus aliquis ex univerſo illo choro, ſed quicumque Romæ cum imperio & poteſtate dominaretur: hanc enim limitationem ſive reſtrictionem adhibendam eſſe nos hodie edoçti experienciâ, quâ veteres deſtituti erant, novimus. Neque vero opus erat, ut ubique terrarum nomen Romani Imperii deleteretur, ſed ut ex urbe Româ majeſtas & potentia ejus tolleretur: In ipſâ enim urbe ſedem ſuam habiturus erat Antichriſtus. Fruſtra itaque ſunt Pontificii, quando contendunt nos fruſtra eſſe, qui ante univerſi Romani imperii interitum, ſuperſtite, etiamnum Romano Imperatore, Antichriſtum tamen dudum apparuiſſe credamus. Quid enim? ſi eum, qui hodie eſt, imperii ſtatum cum illo, qui ſub Auguſto, Trajano, Hadriano & Antoninis fuit; conferamus, quid niſi nomen & aliquam magni corporis umbram ſuper eſſe judicabimus. Quidquid vero ſit, non neceſſe



cesse erat, ut penitus ex orbe Romanum nomen tolleretur, aut ut non in aliâ urbe aut aliquâ amplissimi ejus imperii provinciâ Romanus Imperator pristini imperii nomen & imaginem conservaret, sed ut urbe Româ cederet, & vacuum possessionem mysterio iniquitatis relinqueret. Ex urbe itaque tolli oportebat Imperatorem non ex orbe. Diu vero est ex quo in urbem Romam & universam ferè Italiam nullum & perquam exiguum imperatoribus fuit imperium. Constantinopolis primùm, sato an humano consilio, dici vix potest, in dignitatem Romanæ urbis successit & sedem imperii inde movit abstraxitque, redditur quidem ea postliminiò, verùm durare non potuit, multominus perennare, quæ deprædata fuerat omnes gentes, in prædam exponitur ultimis gentium Gothicis, Vandalis, Herulis & nescio quibus non barbaris populis. Et quæ sub Augusto *imperium terris, animos aquarat olympo*, sub Augustulo animam agit & ne quidem sibi tuendæ sufficit. Jam igitur *ὁ κατέχων* è medio sublatus, locum dedit appropinquanti Antichristo. Vtrumque enim unius Urbis mœnia capere non potuerunt. Benè quidem poterant, quamdiu Rom. Episcopus nondum esset Antichristus, at ubi Antichristus esse cœpit, non potuere. Quum igitur Imperatores Romam primùm suâ sponte deseruissent, mox barbarorum potentiâ excussi essent & stabilem Imperii sedem non nisi Constantinopoli haberent, in Italiâ vero per Exarchos suos extremo tantum margine hærent, & non quidem in ipsâ urbe Româ sed extra eam, tam prodiit & in conspectum sese dedit atque ita revelatus est *ὁ δὲ νεκρὸς*. Nempe à Phocâ crudelissimo parricida Bonifacius III. impetravit & obtinuit, ut Rom. Ecclesia princeps ac caput omnium aliarum ecclesiarû haberetur, quemadmodum disertè fatentur atque scribunt Anastasius & Platina, quos sequuntur in suis Chronicis Hermannus Contractus, Ma-
rianus

rianus Scotus, Gobelinus Persona. Ita regni Antichristiani & immensæ tyrannidis prima jacta sunt fundamenta, superstructionum insanas moles alius post alium addiderunt, donec tandem ad eam, quam nunc cum horrore intuemur, magnitudinem deventum fuit. Neque enim tantum opus perficere unus potuit, aut fastigium imponere: Multorum requirebantur operæ, inter quos procul dubio fuere, qui licet symbolum conferrent & negocium pro suo virili adjuvarent, ipsi tamē quid ageretur non intelligerent. Imperantem vero Phocam, quo obstetricante tam informis in lucem prodiit partus, averfat a est natura & cohorrerunt elementa; terra fruges negavit; gelu vites exstinxit & aquæ frigidibus constrictæ pisces strangularunt; hominibus autem fames & pestis interitum attulit; imperium à barbaris undequaque dilaceratum ingemuit, ipse parricida teterrimus & tyrannus crudelissimus à conjuratis non tam cæsus quam discerptus est, ultricibusque tandem flammis in cinerem redactus. Qui volet apud Cedrenum ista omnia pluribus exposita inveniet. Tam læta fuerunt initia primatus & principatus Romanorum Pontificum, sive quod idem est, Antichristiani regni; talis harum nuptiarum paranympus & hic dignus infelice homine exitus. Cæterum quæ hætenus diximus, eò tendunt omnia, ut intelligatur Antichristum tyrannidis suæ initia facere non potuisse, quamdiu Rom. Imperium maneret integrum, vel certè quamdiu Roma in potestate esset Imperatoris. Hoc autem totum rectè & exactè convenire Romano Pontifici, qui regnum suum ruinis imperii inædificavit, cuiq; tantū accrevit autoritatis & potentia, quantum decessit Imperatoribus, donec tandem eò deventum fuit, ut Adrianus Papa Imperatorem tanquam bubulum quendam in sylvas relegare auderet, & in hæc verba prorumperet: (quæ legere est sexto Annalium ab Aventino inserta.)

inserta:) *Romæ nostra sedes est: Imperatoris est Aquis in Arduenna;*
 (quæ est sylva Galliæ) *Imperator quod habet totum habet à nobis.* Quin
 imò Innocentius VI. Carolum IV. eâ lege coronari iuberet, ut
 nec Romæ nec alibi in Italiâ diu subsisteret. Hoc verò est
 τὸν κατέχοντα ἐκ μέσου γίνεσθαι & imperatorem Romanum ex
 urbe Roma tolli seu potius sublatum esse. * ET ABO-
 LEBIT ILLVSTRI ADVENTV SVO. Inde con-
 cludo, Pontificem esse Antichristum, & non cessaturum, quamdiu
 duret mundus. Non autem statuo, quòd omnes Pontifices sint An-
 tichristi. Nam fuerunt inter eos homines doctissimi, & optimè de
 re literariâ meriti. Ita Nicolao V. debemus, quòd linguas & disci-
 plinas, præsertim autem latinam, hodie habemus. Ille enim præbuit
 hospitium Græcis hominibus, qui verterent linguas: & in primis ipsi
 fuit familiaris Laurentius Valla, qui Thucydidem vertit latinè. Sed di-
 co quòd mansurus sit Antichristus in illâ sede, & subinde per vices ali-
 qui usque ad finem mundi orituri, qui vel opera Antichristi faciant,
 vel Antichristi opera promoveant. Talis fuit Gregorius VII. aliàs
 Hildebrandus. Bonifacius IIX. Alexander VI. Innocentius IIX. Et
 si credendum historicis, non dubium est, quin multi fuerint inter
 Pontifices Magi. Magus autem colit Diabolum pro DEO. Hodier-
 num etiam Pontificem ego nolim dicere Antichristum; & fuerunt
 superioribus seculis plurimi, quos etiam nolim ita vocari; sed multi
 Antichristi sederunt in illâ sede & porro sedebunt. * CVJVS AD-
 VENTVS EST IN EFFICACIA SATANÆ. Hoc est, Satanas ipsi
 cooperabitur, ut ad tantam potentiam perveniat & signa ac multa
 prodigia erunt apud illum. Rem concludo duobus syllogismis, quo-
 rum alter sicut firmissimus est de Christo, ita etiam alter firmissimus
 de Antichristo. Syllogismi ita habent: Si omnia quæ in vòtere Te-
 stamento de Christo prædicta sunt, conveniunt Mariæ filio, E. Mariæ
 filius est Christus. Ita similiter: Si omnia quæ dicta sunt de Anti-
 christo [inter quæ tamen præcipua & perspicua est nota, arroganti-
 a divinitatis) conveniunt Pontifici Romano. Ergo

PONTIFEX ROMANVS EST
 ANTICHRISTVS.


FINIS.


153 755

X2615745

K

VD77





12.

GEORGII CALIXTI
S. THEOL. D. ET IN
ACAD. IVLIA PRIMARI
PROF.

IN EPISTOLAE
SANCTI APOSTOLI PAVLI AD
THESSALONI.
CENSES POSTERIORIS
PRIMUM CAPVT ET ALIQVOT VERSVS SECVNDI
EXPOSITIO LITTERALIS.

QVOMODO ILLA ANTE ANNOS XXX, QVVM PVBLICE
PROPONERETVR EXCIPI POTVIT.
NVNC PRIMVM EDITA.



BRVNSVIGÆ,

Typis & sumptibus ANDREAE DVNCKERI,
M. DC. LVI.

